

*Palmensis* monasterii liberam facultatem sibi eligendi abbatem quemcunque voluerint. Caeterum supradicta omnia Palmense monasterium libere habeat et quiete possideat et nulli inde aliquod servitium debeat nisi deo viventi et post eum Romano regi vel imperatori. Si quis autem huic nostrae auctoritatis sanctioni obviare vel eam aliquatenus infringere praesumpserit, banno regali subiaceat et mille libras auri puri componat, dimidium camerae nostrae et reliquum passis iniuriam. Quod ut in omne aevum ratum permaneat et inconvulsum, praesentem inde paginam conscribi et maiestatis nostrae sigillo aureo iussimus insiniri. Huius rei testes sunt: Hermanus Monasteriensis episcopus, Odo <sup>1)</sup> Taurinensis episcopus, Ruodolfus imperialis aulae prothonotarius, Iohannes praepositus sancti Germani in Spira, Conradus marchio Montis Ferrati, Bonifacius frater eius, Vuillelmus marchio de Palodio, Bertoldus dux Meraniae, Henricus de Vuildenstein, Ulricus de Gudenberc, Guichardus frater burgravi <sup>h)</sup> de Magdeburc, Ingelhardus <sup>i)</sup> de Vuinsberc et alii quam plurimi.

(M) <sup>2)</sup> Signum domini Henrici Romanorum regis invictissimi.

Ego Gaudefridus imperialis aulae cancellarius vice Philippi Colloniensis archiepiscopi et Italiae archicancellarii recognovi.

Acta sunt haec anno dominicae incarnationis millesimo centesimo octogesimo sexto, indictione quarta, regnante domino Henrico Romanorum rege invictissimo, anno regni eius decimo septimo.

Datum apud Taurinum sexto kalendas Aprilis.

---

<sup>h)</sup> burgun mit Kürzungszeichen BC      <sup>i)</sup> Ingelnardus B

---

<sup>1)</sup> So BC, wohl verschrieben für Milo; Bf. Milo v. Turin, Zeuge in St. 4447 (1186 März 1) u. St. 4448 (1186 März 2), wurde erst 1187 Dezember 5 Ebf. v. Mailand, vgl. Fedele S a v i o, *Gli antichi vescovi di Torino dal principio al 1300* (1888) S. 112.

<sup>2)</sup> Nachzeichnung des Monogramms in B.